



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Theologia Moralis**

Antehac ex probatis Auctoribus breviter concinnata

**Busenbaum, Hermann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1707**

Q. 228. Quid sit notandum circa Decimas, Primitias, Oblationes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42600**

§. V. Quæ Clericus acquisivit ab Ecclesia & re-  
linquit post mortem, debent expendi in usus pios,  
(nisi iterum contraria sit consuetudo) pro quo fa-  
cit illud S. Aug. homil. 48. inter 50. c. 2., hoc tollit  
fiscus, quod non accipit Christus, id est, hoc post  
mortem beneficiati tollit Ecclesia & causis piis appli-  
cat, quod beneficiatus in vita non erogavit paupe-  
ribus, uti erogare debuit. Ut autem donatio Eccle-  
siastici ante mortem facta valeat & censeatur esse in-  
ter vivos, debet donans supervivere 20. dies, uti no-  
tat *Fill.*; putant tamen *Valer.* & *Diana* apud *Lugo*  
in Resp. Mor. l. 5. d. 1. hanc superviventiam non esse  
necessariam pro foro conscientiæ, si donatio verè &  
irrevocabiliter facta sit. Curam nimiam ditandi ne-  
potes carpit vetus distichon apud *Ludulph.* *Carth.*  
de vita Christi p. 1. c. 68. Cùm factor rerum priva-  
vit semine Clerum, ad Satanae votum successit turba  
nepotum.

An Princeps sacerdotalis possit disponere ad libitum  
& ad quoscumque usus de fructibus Ecclesiarum va-  
cantium, vide *Dianam* p. 7. t. 10. R. 1., & dicenda  
à n. 1397.

Q. 228. Quid notandum sit circa decimas, pri- 1361  
mitias, oblationes. R. Seqq.

§. I. Per Decimas intelligitur decima pars bono-  
rum mobilium licetè acquisitorum, Ecclesiæ mini-  
stris exsolvenda, secundum cap. *Ex transmissa*, 23.  
de decimis, fidelis homo de omnibus, quæ licetè po-  
test acquirere, decimas erogare tenetur: Ortum  
habent ex antiquo testamento, *Gen.* 14. & 28. *Exod.*  
22. *Levit.* : 7. *Num.* 28., & congruentia est, 1. Quia  
sic recognoscitur Deus tanquam donator omnium  
bonorum, idque per numerum perfectum, qui o-  
mnes in se numeros continet. 2. Quia Ministris Dei  
debetur sustentatio. 3. Ut hi liberi sint curis tem-  
porali-

poralibus, & aliis pauperibus benefacere possint. De iniustè acquisitis non debetur decima, quia totum restituendum est Domino rei. Debentur solo jure Ecclesiastico, attamen inducente obligationem justitiae & religionis. Jus primogenium ad decimas à laico præscribi non potest, quamvis possit præscribi immunitas ab eis solvendis, secundùm dicta l. 3. p. 2. n. 502. Potest jus decimarum per privilegium Papæ in perpetuum concedi laico ob merita in Ecclesiam vel alias causas: potest etiam à Clerico elocari saltem ad triennium. Ad exigendas decimas datur actio in foro Ecclesiastico, quandoque etiam laicali, non tantum personalis, ut qui negat, conveniatur apud judicem & cogatur, sed etiam realis, ut ad quemcunque pervenerint fructus indecimati, pars I. vendicetur; si tamen possessio annis prioribus non solverit, non est jus petendi à successore, quia hoc jus fundabatur in ipsis fructibus, non autem in fundo ipso.

1362

¶ II. Primitiae, erant primi fructus terræ vel pecorum, quæ offerebantur Ecclesiæ Ministris: nunc non amplius obligant, nisi secundum consuetudinem patriæ & indigentiam Ministrorum Ecclesiæ, inquit S. Thom. 2.2. q. 86. a. 4. Similiter ad oblationes in altari sub Missa non obligantur singuli fideles, attamen per Superiores attineri debent patresfamiliâs ad retinendam consuetudinem obeundi altare & aliquid offerendi: Quod autem sic offeritur, cedit Parocho, uti & illa, quæ offeruntur in Capelis aut ad sacras imagines intra parochiam, nisi alii cubi sit alius usus.

Videri possunt hæc & plura alia ex legibus & AA. fusius deducta apud Ius. T. 5. à n. 224. Item de decimis videri potest fusè Leur. p. 1. q. 464. & seqq. De primitiis q. 499. De oblationibus, q. 460. & seqq.

Q. 229.